







I. A Deſcription and Figure

Of the true

Amomum, or *Tugus*.

SENT

From the Reverend Father *George Camelli*, at the *Phillipine Iſles*, to Mr. *John Ray* and Mr. *James Petiver*, Fellows of the Royal Society.

De *Tugus*, ſeu *Amomo legitimo*.

RAcemoſo *Tugus*, ſeu *Birao*, aliis *Caropi* viſo florum faſciculo: deguſtato ejuſdem uvæ acinis, ſeu oblongo ſemine & facta collatione cum Botanicorum *Amomi* deſcriptionibus *Tugus legitimum Dioſcoridis* eſſe *Amomum* decrevi.

Eſt autem *Tugus* planta quandoque ultra cubitos novem aſſurgens, folio ſimile plantæ *Tagbac*, ſeu *Bagongbonque* excipe quod

quod parte prona ſuavi obſitum ſit lanugine venoſius præterea, longius & ſuaveolens. Ad plantæ radicem ſeu caulis truncum, ex foliacei caulis meditullio racemiformis, & piſtillo ſeu Amomonti florum faſciculo non adeo ſimilis prorumpit florifera, & granigera foliolorum ſeſquipalmaris congeries, floſculis exornata rubicundis, quibus uvæ in longiuſculum protenſæ collum ſeu floris tubuli reliquias ſubſequuntur; dulci & pauco cortice unde à Muribus & Avibus unà cum ſemine plerunque depaſtæ, pauca admodum & exigua colligi poteſt quantitate. Quare & olim rarum fuiſſe, nec paſſim naſci *Virgilius* inſinuare videtur: dum ſpondet quod *Aſſirium* vulgò naſcetur *Amomum*.

Hæ uvæ quina communiter, aut ſena continent ſubruffa, oblonga, inæqualia, aromatica, *Amuyong* minus acria, & cubebis Officinarum ſuaveolentiora grana, ſeu acinos, ex quibus trajecto filo nunc per ſe nunc ſociatis *Margaritis*, ac *Corallio*, nonnullæ puellæ Indicæ *Caropi* ſeu monilia ac armillas concinnare ſolent.

Aliæ ex his, & ſemine *Belmuſci*, iis *Maricom. Arundinis Lithoſpermos*, iis *Tigbi. Cannæ Floridæ*, iis *Ticaſticas. Piſi coccinei* iis *Saga. Amomonti* præterea *Badiang*, & *Calanos* ſeminibus ſimilia nectere aſſueverunt. Ob gratum vero quem ſpirant odorem grana *Tugus* collo appenſa gerunt ab infecto etiam præſervare aere & *ictui* mederi *Scolopendriæ*, maſticata ſi ſuper imponantur experientia docuit. *Radix* ſimilis eſt radici *Tagbac* ſeu *Calami odorati*, inſipida, alba interne, de foris rubicundis & ſubodoratis Cæpaceis contecta obvolucris. Ex *Borongam* ſcripto accepi, in caulium apicibus alium & hunc inodorum ferre fructum, quem necdum vidi. Idem *Indi Indanenſes* mihi affirmarunt: ſed eos hallucinari cenſeo, & plantam *Tacbac* (*Tagbac*) pro *Tugus* vidiſſe puto.

Provenit in *Borongam* & *Paranas* caput ex aliis Inſularum *Samar*, & *Leyte*, locis. Nec dubito in *Luzone* quoq; reperiri, maximè *Silanii* in torrentium profunditatibus.

Nota florum *Tugus* recentia & tenella germina, aliquantum *Pſeudo amomum* Garciæ *pedem Columbinum* referens exprimunt. Ne autem quidquam deſideretur mitto unà cum his ſcriptis plantæ delineationem, & ſimiliorem caſtaneam eſſe ovo nondeerit qui objiciat, quam folia *Tugus* foliis *Mali Punici* quod lubens conceſſerim, ſed quicquid *Dioſcorides* & *Plinius* de *Amomo* tradidere ſolummodo de florigero & ſemine turgente *Tugus*

racemo

racemo intelligenda eſſe cenſeo, utpote quibus integra & ipſa planta non innotuit. Hunc enim *Tugus* thyrſum deprehendet. *B. L.* exiguè fruticare *Palmi* videlicet, pluſve minuſve altitudine: ex ligno ſubruffo, ſeu lignoſa materia, floſculis & folliculis foliis *Mali Punici* ſimilibus ſeſe in racemi modum convolvere, ſive ut *Barth. Merula* vertit eſſe fructum ſimilem botruo inveniet ſemine uvis parvis ſimili, ſi ſeminis carnoſum ſpectet tegumentum, plenum, valde odorato & acre guſtu, vim habente calefaciendi, adſtringendi & exſiccandi & cætera *legitimi Amomi* ſigna, ut pedis Columbini effigiem ſi diligenter inveſtigaverit. *Amomum* in *Turcomania Armenæ* provincia provenire ſcribit *Jo. Botero Benes.* f. 99. p. 2.